De

Parasitis Graecorum.

Commentatio philologica

quam

auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

Academia Rostochiensi

summos in philosophia honores

rite consecutus

edidit

Alfredus Knorr

philosophiae doctor.

Particula prior.

Colbergae, 1878.

Typis C. F. Postii.

Viro Humanissimo

H. Dembowski

Orphanotrophii Regimontani Directori.

Pio Gratoque Animo

D. D. D.

Auctor.

Ex eis Graecorum et Romanorum scriptoribus, qui in vita moribusque civium describendis summo elaborarunt studio, dilucide apparet, quanta auctoritate apud veteres in vita et publica et privata fuerint ii homines, quos Graeci nominabant *παρασίτους*, quod nomen simul cum ipsa eorum persona a comicis Romanis Romam translatum esse constat.

Qui vocantur antiquae comoediae scriptores nondum utebantur hoc nomine, quamquam persona ipsa a fabulis eorum non aberat: illis temporibus parasiti *κόλακες* vocabantur, qua de re infra paullo uberius disseram. Araros, Aristophanis filius, primus hoc nomine in comoedia, cui titulus erat Hymenaeus, *κόλακας* illos significavit. Postea parasiti persona tam grata Atheniensibus erat, ut vix quisquam inveniretur comicorum, quin parasitum in fabulas induceret, Antiphanes vero, Alexis, Diphilus poetae ex fabulis uni, cum parasitus primas ageret partes, vel titulum *τοῦ παρασίτου* attribuerunt. Quantum vero valuerint parasiti imprimis illis temporibus, quibus libertas amissa esset, ex Athenaei libris optime discimus. Quare haud longum esse videtur, paullo uberius de his hominibus disserere.

I.

Parasiti nomen olim non ignobile sed honorificum et sanctum aliquid fuisse, Athenaeus dicit multisque aliorum scriptorum locis affirmat. Verba ejus sunt haec [Athen. Deipnos. e. rec. Augusti Meineke. Lipsiae 1858 lib. VI. p. 234 d.] *τὸ δὲ τοῦ παρασίτου ὄνομα πάλαι μὲν ἦν σεμνὸν καὶ ἱερόν.* Affert Polemonis, Periegetae ex libro quo de parasitis loquitur, verba haec: *τὸ τοῦ παρασίτου ὄνομα νῦν μὲν ἄδξόν ἐστι, παρὰ δὲ τοῖς ἀρχάίοις εὑρίσκομεν τὸν παράσιτον ἱερόν τι χρῆμα καὶ τῷ συνθοίνῳ παρόμοιον.* Primo igitur parasiti nomen nihil aliud significabat nisi convivam. Idem Clearchus Solensis, qui est unus ex Aristotelis discipulis in primo libro vitarum affirmat his: *ἔτι δὲ παράσιτον νῦν μὲν τὸν ἕτοιμον, τότε δὲ τὸν εἰς τὸ συμβιοῦν κατειλεγμένον· ἐν γοῦν τοῖς παλαιοῖς νόμοις αἱ πλεῖσται τῶν πόλεων ἔτι καὶ τήμερον ταῖς ἐντιμοτάταις ἀρχαῖς συγκαταλέγουσι παρασίτους.* [Ath. VI p. 235 a.] Hoc loco non de sacris, ut ita dicam, parasitis agitur sed de iis, quos publicos parasitos vocare licet, de quibus infra pluribus disseram.

Crates vero in secundo libro dialecti Atticae: *καὶ ὁ παράσιτος,* inquit, *νῦν ἐπ᾽ ἀδόξου μὲν κεῖται πράγματος, πρότερον δ᾽ ἐκαλοῦντο παράσιτοι οἱ ἐπὶ τὴν τοῦ ἱεροῦ σίτου ἐκλογὴν αἱρούμενοι, καὶ ἦν ἀρχεῖόν τι παρασίτων* [Ath. VI p. 235 b]. Erant igitur parasiti antea genus quoddam ministrorum sacrorum, quibus cura erat colligendi frumenti sacris faciendis constituti. Legimus etiam quasdam leges de parasitis latas apud Athenaeum, e quibus officia eorum cognoscere possimus. In lege quae de archonte rege lata est scriptum est his ipsis verbis:

ἐπιμελεῖσθαι δὲ τὸν βασιλεύοντα τῶν τε ἀρχόντων, ὅπως ἂν καθιστῶνται, καὶ τοὺς παρασίτους ἐκ τῶν δήμων αἱρῶνται κατὰ τὰ γεγραμμένα. τοὺς δὲ παρασίτους ἐκ τῆς βουκολίας ἐκλέγειν ἐκ τοῦ μέρους τοῦ ἑαυτῶν ἕκαστον ἑκτέα κριθῶν, δαίνυσθαί τε τοὺς Ἀθηναίους ἐν τῷ ἱερῷ κατὰ τὰ πάτρια, τὸν δ' ἑκτέα παρέχειν εἰς τὰ ἀρχεῖα τῷ Ἀπόλλωνι τοὺς Ἀχαρνέων παρασίτους ἀπὸ τῆς ἐκλογῆς τῶν κριθῶν [Ath. VI p. 235 c]. Difficillimum est dictu, quomodo haec lex intelligenda sit; Schweighaeuser hunc locum latine sic tradit: Curet is, qui Regis officio fungitur, cum Archontas ut rite constituantur, tum parasitos ut e tribubus nominentur, quem ad modum in legibus scriptum est. Parasiti vero absque dolo malo colligant quisque ex parte sibi attributa sextarium hordei, quo una epulentur qui sunt Athenienses in templo ritu patrio. Sextarium autem in curiam praebeant Apollini Acharnensium parasiti ex hordei collectione.“ Lud. Preller vero, qui hunc locum in libro qui inscribitur: Polemonis Periegetae fragmenta. Lipsiae 1838 pluribus tractat, amissa esse nonnulla verba post γεγραμμένα, ἐκλέγειν, κριθῶν, ἀρχεῖα putat. Scribit hac de re pag. 121 haec: „Post τὰ γεγραμμένα indicavi lacunam, quia desiderantur quae respondeant τῷ τε in verbis τῶν τε ἀρχόντων. Factum est in his excerptis quod fieri solet in locis excerpendis, ut singulis quibusdam rebus vel vocibus intenti, ea tantum exscribamus quae cum iis proxime conjuncta sunt, cetera negligamus.“ Sit haec lacuna recte posita; de ceteris vero lacunis paullo uberius disserendum mihi est. „Ita etiam in sequentibus post verba ἐκ τῆς βουκολίας λέγειν planum est, excidisse

nonnulla fortasse haec: *βοῦς, καὶ ἐπὶ τούτοις ἐκλέγειν κριθάς, καὶ παρέχειν ἐκ τοῦ μέρους κτλ.* Intelligendum est ante omnia, quid significet *βουκολία* illud. Casaubonus *βουκολίαν* suspicatur dici, vel jugerum vel alium agri modum, ex quo fas fuit, parasito cuique hordei hecteum exigere.“ Petitus Miscell VI 2 legendum esse censet *ἐκτὸς βουκολίας*, quod interpretatur „sine dolo malo, bona fide“ Hesychium testatus, qui *βουκολητὴν* esse i. q. *ἀπατεῶνα* et verbum *βουκολῶ* i. q. *ἀπατῶ βουκολοῦντες* i. q. *ἀπατῶντες;*“ sic etiam Schweighaeuserus illud *ἐκτὸς βουκολίας* vertit latine „sine dolo malo.“ Aliam viam ingressus est Kuehnius ad Poll. VIII. 111. ubi memoratur locus propter porticum regiam *τὸ βουκολεῖον* dictus: hoc ille *βουκολεῖον* suspicatur domum sacram fuisse (similiter ante eum Meursius, Cuperus et van Dale, v. van Dale Dissertt. antiq. p. 216) in quam parasiti Athenienses recondiderint quicquid collegerint singuli *ἐκ τῆς βουκολίας* i. e. *ἀγροικίας*, ex agris sibi attributis. Haec memorasse sufficiat: *βουκολίαν* et *βουκόλιον* constat esse nihil aliud nisi armentum boum.“ (Preller Pol. frg. p. 122.)

Illud *βουκολίαν* armentum boum significare etiam Passow dicit, afferens nonnullos locos, in his (hym. hom Merc. v. 498).

ὁ δ' ἐδέξατο Φοῖβος Ἀπόλλων
Ἑρμῇ δ' ἐγγυάλιξεν ἔχειν μάστιγα φαεινὴν
βουκολίας τ' ἐπέτελλεν.

Hunc locum legis corruptum esse concedo; at non intelligo, cur tot verba excidisse Preller putet; equidem inter *ἐκλέγειν* et *ἐκ τοῦ μέρους* nihil nisi *καὶ* pono et puto sic hujus loci sensum optime perspici posse; quum enim

dictum sit ἐκ τῆς βουκολίας ἐκλέγειν, facile est intellectu, nihil aliud ex armento boum eligi posse nisi boves.

Tum indicavit lacunam Preller post ἑκτέα κριθῶν: at ipsum loquentem facio: „nam quod sequitur δαίνυσθαι τοὺς ὄντας Ἀθηναίους κτλ. et τὸν δ' ἑκτέα παρέχειν, inde cernis sermonem post ἑκτέα κριθῶν rediisse ad boves illos, quorum mentio etiam in prioribus excidit, sacrificandos et comedendos; in quibus epulis intererant nonnisi οἱ ὄντες Ἀθηναῖοι i. e. cives genuini, oppositi τοῖς νόθοις. Exciderunt haec: καὶ τοὺς μὲν βοῦς ἐπὶ θυσίαν εἶναι· δαίνυσθαί τε κτλ., vel similia.“ (pag. 122) Non credo hanc lacunam recte indicatam et expletam esse; quid enim ad perspiciendam legem afferant verba illa καὶ τοὺς βοῦς ἐπὶ θυσίαν εἶναι intelligere nequeo. Ex Prelleri sententia modo boves ad sacra facienda eligebantur: hoc autem falsum esse facile intelligas, cum hordeum non minus ἐπὶ θυσίαν colligeretur, quam boves illi. Hanc legem modo ad Acharnensium parasitos, qui erant Appollinis in templo, pertinere ex iis verbis quae sequuntur intelligitur: τὸν δ' ἑκτέα παρέχειν εἰς τὰ ἀρχεῖα τῷ Ἀπόλλωνι τοὺς Ἀχαρνέων παρασίτους; quare credo, mutandum esse illud τοὺς ὄντας Ἀθηναίους in τοὺς παρόντας Ἀθηναίους; οἱ ὄντες Ἀθηνεῖοι vix dictum sit pro οἱ γνήσιοι Ἀθηναῖοι vel Ἀθηναῖοι τὸ γένος. Meinekius, qui hanc legem in libro, cui titulus est Fragm. Comic. graec. II p. 122 citat, ad haec verba δαίνυσθαι δὲ τοὺς ὄντας Ἀθηναίους ἐν τῷ ἱερῷ κατὰ τὰ πάτρια notat: „Itaque germanis tantum Atticis licuit in istud quasi thiasotarum collegium cooptari. Illi igitur οἱ ὄντες Ἀθηναῖοι parasiti ipsi videntur esse.“ At nonne mirum esset, jam plura de eligendis parasitis et de ipsorum

muneribus dicta esse, et denique quasi in parenthesi dici: at illos parasitos necesse est e genuinis Atheniensibus esse. Gravis talis legis pars certe in initio ipso legis, ubi de eligendis parasitis dicitur commemoranda fuit. Sensus ultimorum verborum ab: τὸν δ'ἑκτέα παρέχειν usque ad τῶν κριθῶν hic mihi videtur esse: parasiti ex omnibus pagis ab unoquoque cive sextarium hordei exigebant; omnes illi sextarii consumebantur in cena excepto uno, qui in Apollinis honorem in curia parasitorum incendebatur. Uertam igitur hanc legem his verbis: „Curet is, qui Regis officio fungitur, cum archontes, ut rite constituantur, tum parasitos, ut e tribubus nominentur quem ad modum in legibus scriptum est. Parasiti vero eligant ex armento boum (scil. duos illos boves) et praeterea colligant hordeum quisque e regione sibi attributa sextarium hordei; epulentur vero qui adsunt Athenienses in templo ritu patrio, (unum) vero sextarium in curiam Apollini praebeant Acharnensium parasiti ex hordei collectione."

Difficile est dictu, quinam homines sint illi archontes, quos eligendos curet ἄρχων βασιλεύς; hi archontes una cum parasitis iterum commemorantur Athen. VI p. 234 f. ἐν δὲ Παλληνίδι τοῖς ἀναθήμασιν ἐπιγέγραπται τάδε· ἄρχοντες καὶ παράσιτοι ἀνέθεσαν οἱ ἐπὶ Πυθοδώρου ἄρχοντος στεφανωθέντες χρυσῷ στεφάνῳ ἐπὶ Διφίλης ἱερείας. Hos archontes non eosdem esse ac novem illos archontes facile intelligitur, eo quod hoc loco archontes eligantur ab archonte rege. Certe homines parasitis similes fuerunt sacerdotum ministri.

Praeter hanc cenam, qua epularentur qui ades-

sent Athenienses, parasiti sacra facienda aut una cum sacerdote aut per se ipsi curabant. In Cynosarge quidem, Polemone teste, in Herculis templo erat columna quaedam, cui inscriptum erat decretum Alcibiadis, scriba Stephano, Thucydidis filio, quo in decreto de parasitis haec legebantur: *τὰ δ' ἐπιμήνια θυέτω ὁ ἱερεὺς μετὰ τῶν παρασίτων.* (Ath. VI p. 234 c). Parasitos solos sacra facientes invenimus apud Athen. VI p. 234 f., in legibus enim ad archontem regem pertinentibus legebatur: *θύειν τῷ Ἀπόλλωνι τοὺς Ἀχαρνέων παρασίτους.* His igitur duobus locis sacra, quae curent parasiti, nominantur: Herculis sacra *ἐπιμήνια*, quae quarto quoque die cujusque mensis celebrabantur, (qui dies imprimis Herculi sacer erat [cf. Schoemann Griech. Alterth. II. p. 421]) in Cynosarge et in Acharnensium pago Apollinis sacra, qui in hoc templo *Ἀγυιεύς* appellabatur. [cf. Paus. I 31 b. *ἔστι δὲ Ἀρχαναὶ δῆμος· οὗτοι θεῶν Ἀπόλλωνα τιμῶσιν Ἀγυιέα καὶ Ἡρακλέα.*] Sacra Apollinaria non ut Herculis menstrua sed anniversaria fuisse constare mihi videtur ex cena illa, quae curanda erat parasitis Acharnensium.

In fragmento legis regiae, quod servavit Themiso in Pallenide legitur (Ath. VI p. 235 a) *ἐπιμελεῖσθαι δὲ τὸν βασιλέα τὸν ἀεὶ βασιλεύοντα καὶ τοὺς παρασίτους οὓς ἂν ἐκ τῶν δήμων προαιρῶνται καὶ τοὺς γέροντας καὶ τὰς γυναῖκας τὰς πρωτοπόσεις.* In hoc fragmento est *βασιλεὺς ὁ ἀεὶ βασιλεύων* archon rex singulis annis denuo sorte captus; eum oportet *ἐπιμελεῖσθαι* scil. *τῶν ἱερῶν* praeterque eum parasitos, *οὓς ἂν ἐκ δήμων προαιρῶνται* (scil. *οἱ ἄρχοντες*). Ab archonte rege igitur eligebantur *ἄρχοντες* illi et ab his parasiti (cf. fragm. Cratet. Athen. VI

p. 235 c.) γυνὴ πρωτόποσις est ἡ ἐκ παρθενίας τινὶ γεγαμημένη cf. Pollux III 39, ea cui πρῶτος πόσις est. Haec lex fortasse ad sacra Minervae Pallenicae facienda spectat; in Pallenide enim pago templum (Pallenicae Minervae) fuisse constat ex anathematis illis, quae commemorantur pag. 234 f. Cum haec verba Athenaei ex Themisonis libro, cui inscribitur παληνίς (scil. γραφή de rebus in Pallenide pago agens) citentur, verisimillimum est, hoc loco parasitos Pallenicae Minervae commemorari.

Etiam de praemiis parasitorum nonnulla in Athenaei libro legimus. In Castorum aede in columna quadam haec scripta exstabant: τοῖν δὲ βοοῖν τοῖν ἡγεμόνοιν τοῖν ἐξαιρουμένοιν τὸ μὲν τρίτον μέρος εἰς τὸν ἀγῶνα, τὰ δὲ δύο μέρη τὸ μὲν ἕτερον τῷ ἱερεῖ, τὸ δὲ τοῖς παρασίτοις· [Ath. VI, p. 235 b]. Accipiebant igitur parasiti tertiam partem illorum duorum boum, quos ad sacra facienda ex armentis eligebant. Numinibus illis, quae Athenis aliisque locis Ἄνακες nominabantur, quique iidem habentur ac Castor et Pollux, in pervetere templo sacra fiebant Ἀνάκεια, quibuscum ludi conjuncti erant ut ἱπποδρομία, quam Lysias commemorat; ex his Athenaei verbis apparet, tertiam partem illorum duorum boum in cena, qua epularentur victores, consumtam esse. Num in aliis sacris duo illi boves eodem modo consumerentur ex Athenaei verbis intelligi non potest; in Acharnensium quidem pago magnae illi cenae constituti fuisse videntur boves. Nomen ipsum parasitorum significare mihi videtur, quo praemio hi sacerdotum ministri ubique afficerentur: alebantur una cum sacerdotibus templorum copiis. Denique haud raro accidisse

videtur, ut parasiti munere functi aurea corona honorarentur, quod quidem ex Athenaei verbis, quae supra attuli, conjici potest: *ἄρχοντες καὶ παράσιτοι ἀνέθεσαν — στεφανωθέντες χρυσῷ στεφάνῳ* (Ath. p. 234) Demosthenis aetate mos erat, magistratus, qui muneribus recte functi essent, aut bene de re publica meritos cives aurea corona donare. Eodem honore postea etiam parasitos et archontes affectos esse hoc ex loco intelligitur, quamquam hi homines vix in magistratibus numerandi sunt. Tales coronae non minus quam victorum diis dedicabantur. Parasiti deorum non ut magistratus sorte capiebantur sed eligebantur ut supra dixi ab archontibus, qui quidem ipsi ab archonte rege electi erant: quare utitur de iis Athenaeus verbis *αἱρεῖσθαι προαιρεῖσθαι* ut in Cratetis fragmento pag. 235 c; in Clidemi fragmento ex Atthide servato legitur *καὶ παράσιτοι δ᾽ ᾑρέθησαν τῷ Ἡρακλεῖ* (Ath. VI p. 235 a) in Themisonis fragmento: *τοὺς παρασίτους, οὓς ἂν ἐκ τῶν δήμων προαιρῶνται* scil. *οἱ ἄρχοντες.* Parasitos non sorte captos sed electos esse optime e Diodori fabula, cui titulus est *Ἐπίκληρος*, cernimus; facit enim poeta parasitum artem suam praedicantem ut praeclarissimam, quod quidem hoc ipso intelligi possit, quod Athenienses in Herculis honorem maxima cura duodecim viros e primoribus civium eligerent, qui summis essent opibus quique honeste vixissent; hos viros parasitos dictos esse. Versus, quos Athenaeus ex illa fabula affert (p. 239 d) sunt hi:

ὅτι δ᾽ ἦν τὸ πρᾶγμ᾽ ἔνδοξον ἀεὶ καὶ καλόν,
ἐκεῖθεν ἂν γνοίη τις ἔτι σαφέστερον·
τὸν Ἡρακλέα τιμῶσα λαμπρῶς ἡ πόλις

ἐν ἅπασι τοῖς δήμοις θυσίας ποιουμένη,
εἰς τὰς θυσίας ταύτας παρασίτους τῷ θεῷ
οὔ πώποτ' ἀπεκλήρωσεν, οὐδὲ παρέλαβεν
εἰς ταῦτα τοὺς τυχόντας, ἀλλὰ κατέλεγεν
ἐκ τῶν πολιτῶν δώδεκ' ἄνδρας ἐπιμελῶς
ἐκλεξαμένη τοὺς ἐκ δυναστῶν γεγονότας,
ἔχοντας οὐσίας, καλῶς βεβιωκότας.

(Fragm. comic. graec. ed Meineke III 543—545 v. 21—30.)

Eligebantur parasiti e singulis pagis, in quibus templa eorum deorum erant, in quorum honorem parasiti nominabantur; (cf. Themisonis fragmentum: ἐπιμελεῖσθαι δὲ τὸν βασιλέα καί τοὺς παρασίτους, οὓς ἂν ἐκ δήμων προαιρῶνται) sic invenimus Acharnensium et Pallenensium parasitos (Ath. VI 234 f) tum Diomeorum, (Cynosarges enim in Diomea pago situm erat) denique Deliastarum. In tabulis legum de Deliastis latarum legitur: καὶ τὼ κήρυκε ἐκ τοῦ γένους τῶν κηρύκων τοῦ τῆς μυστηριώτιδος. τούτους δὲ παρασιτεῖν ἐν τῷ Δηλίῳ ἐνιαυτόν. (Ath. VI p. 243 e). Quomodo haec lex intelligenda sit, nescio. Illud ἐν τῷ Δηλίῳ nihil aliud significare potest nisi „in templo (Apollinis) in insula Delo sito;" in illo igitur templo parasiti per totum annum παρασιτεῖν jubentur. At parasiti hac lege ministri eorum legatorum significantur, qui graece δηλιασταὶ vocantur. Num quis credere possit, deliastas, cum munere in templo Apollinis functi essent, domum revertisse, ministros autem eorum ibi permansisse ἐνιαυτόν? cum autem parasiti una cum deliastis reverterentur, quid voce ἐνιαυτὸν opus est? Fortasse rectius legas ἐν τῷ τοῦ Δη-

λίου sc. νεῷ. Quae vocatur ἡ εἰς Δῆλον θεωρία in illis muneribus numeranda est, quae graece λειτουργίαι nominantur; qui istis muneribus fungerentur, certe statim postquam pompa illa Delo Athenas rediisset, eligebantur, ut totum annum in curandis eis, quibus in pompa opus esset, consumere liceret; una cum deliastis parasiti eorum eligebantur, ut etiam hi per totum annum hoc munere fungerentur. Priusquam igitur Delum proficiscerentur, parasitorum munere in templo Delii Apollinis Athenis perfungebantur, quod munus ut in ceteris templis in colligendo sacro frumento constitisse puto. Lud. Prellerus, qui hanc legem in libro de Polemone scripto tractat, de hac re haec disserit: „Ipsa verba legis videntur particula esse catalogi eorum, qui in epulis sacris in Delio habitis publicis sumptibus cenabant, inter quos erant etiam ceryces Eleusinii. Epulae autem illae sacrae conjunctae erant opinor cum sacrificiis in Delio Marathonio cum theoria Delum mitteretur rite peractis“ (Preller Polem. fragm. p. 120). Haec non recte dicta esse credo; „Delium“ i. e. templum Delii Apollinis vix quisquam latine dixerit, neque puto graece dici posse „τὸ Δήλιον“ pro „ὁ τοῦ Δηλίου νεώς;“ Δήλιος est adjectivum derivatum ab insulae nomine Δῆλος; sed adjectivum derivatum ab adjectivo Δήλιος non potest esse et ipsum Δήλιος; τὸ Δήλιον nihil nisi templum in insula Delo situm significat. Equidem credo hoc loco de templo Atheniensi disseri, quare ἐν τῷ τοῦ Δηλίου scribo, quae quidem etiam Meyeri sententia videtur esse. (cf. Ersch und Gruber Encyclop. „Parasit.“)

Parasitorum munus ex honestissimis unum fuisse hac ex re cernitur, quod parasiti e numero nobilissimorum civium eligebantur, id quod testimonio Diodori comici probatur, nec minus hac lege, quam modo tractavi: in templo enim Delii Apollinis parasiti erant duo viri e gente cerycum Eleusiniorum, quae gens semper ex honoratissimis una erat. Unius Herculis parasiti in templo in Cynosarge sito non e genuinis civibus sed e nothis eligebantur. Legebatur enim in columna quadam in Herculis templo haec lex: *οἱ δὲ παράσιτοι ἔστων ἐκ τῶν νόθων καὶ τῶν τούτων παίδων κατὰ τὰ πάτρια. ὃς δ'ἂν μὴ θέλῃ παρασιτεῖν, εἰσαγέτω καὶ περὶ τούτων εἰς τὸ δικαστήριον.* (Ath. VI p. 234 f). Ex nothis eligebantur hi parasiti fortasse quia et ipse Hercules non genuinus deus sed quasi nothus erat. Hoc ipsum, quod Herculis parasiti e nothis eligebantur, demonstrat, parasitos non *ἱερεῖς* fuisse sed ut ait Pollux *ἱερὰ ὑπηρέσια*; nothi enim ad publica sacerdotia non admittebantur. Ex eadem lege intelligimus, non defuisse, qui parasitorum munere fungi nollent, profecto quod molestum esset; istos igitur homines hanc ob causam postulare fas erat.

Numina, quibus Athenis parasiti eligebantur, Delius Apollo et Castores erant. Citatur enim lex scripta in columna in Anaceo posita, quare verisimillimum est, hos parasitos, quorum hac in lege mentio fit, parasitos *τῶν Ἀνάκων* fuisse, cum alias haec lex in Anaceo non fuisset. Non recte igitur Schoemannus (Griech. Alterth. II p. 399). dicit: „In Attika waren, so viel sich erkennen lässt, Parasiten nur bei einigen, nicht in der Hauptstadt, sondern in den Demen befind-

lichen Tempeln angestellt.“ *Ἀνακεῖον* illud certe ipsis Athenis situm erat, quod quidem ex Pausaniae descriptione Graeciae (I, 18, 1) scimus; in descriptione enim urbis Athenarum *τὸ δὲ ἱερὸν,* inquit, *τῶν Διοσκούρων ἐστὶν ἀρχεῖον.* In pagis Atticis a parasitis colebantur Apollo in Acharnensibus (Athen. VI p. 235 c). Hercules in Cynosarge (Athen. VI p. 234 e) et in altero templo, de cujus situ nihil certius apud Athenaeum invenimus, quod autem idem atque illud in Cynosarge situm esse non potest, cum in Cynosarge parasiti e nothorum numero, in hoc altero templo Diodoro teste duodecim viri e honoratissimis civibus eligerentur. Hos Herculis parasitos ab Aristophane in scenam productos esse in fabula illa, cui titulus est *Δαιταλεῖς,* Meinekius probavit (cf. Frg. com. gr. II p. 1021, sq.). Affert Orionis locum (p. 49, 8) *καὶ Δαιταλεῖς δρῦμα Ἀριστοφάνους, ἐπειδὴ ἐν ἱερῷ Ἡρακλέους δειπνοῦντες καὶ ἀναστάντες χοροὶ ἐγένοντο*; similiter interpretantur hunc locum Pollux VI, 12, Eustath. p. 1424, 23, Hesychius v. *Δαιταλεῖς,* alii. Hoc autem ex his grammaticorum locis apparere, hanc fabulam nomen accepisse a choro convivarum, qui in fano Herculis epularentur, ibique Regis quoque aliquas fuisse partes: itaque *δαιταλεῖς* non quosvis appellari posse convivas, sed qui rem aliquam sacram faciant, epulones quasi quosdam, itaque ex illis interpretatonibus unice probandam esse *θιασῶται.* Sed haec sola testimonia si superessent, in magna obscuritate comoediam versari necesse esse; at commode alia adesse, quae illa illustrent: *δαιταλεῖς* enim esse eos, qui alias *παράσιτοι* antiquo more appellarentur.“

Denique Pallenicae Minervae parasiti commemorantur (Athen. VI p. 234 f).

Athenis etiam collegium parasitorum fuisse ex ejusdem Athenaei libro scimus: *εὑρίσκω*, inquit, *δὲ καὶ ψήφισμα ἐπὶ Κηφισοδώρου ἄρχοντος Ἀθήνησι γενόμενον, ἐν ᾧ ὥσπερ τι σύστημα οἱ προτένθαι εἰσί, καθάπερ καὶ οἱ παράσιτοι ὀνομαζόμενοι ἔχον οὕτως· Φῶκος εἶπεν· ὅπως ἂν κτλ.* (Athen. IV p. 171 d). Neque curia quaedam, parasitis sacris defuit, quam quidem *παρασιτεῖον* Athenaeus appellat. In lege de Acharnensium parasitis lata legitur: *εἰς τὴν ἐπισκευὴν τοῦ νεώ, τοῦ ἀρχείου τοῦ παρασιτείου καὶ τῆς οἰκίας τῆς ἱερᾶς διδόναι τὸ ἀργύριον, ὁπόσου ἂν οἱ τῶν ἱερέων ἐπισκευασταὶ μισθώσωσιν.*" *ἐκ τούτου*, inquit Athenaeus, *δῆλόν ἐστιν, ὅτι ἐν ᾧ τὰς ἀπαρχὰς ἐτίθεσαν τοῦ ἱεροῦ σίτου οἱ παράσιτοι, τοῦτο παρασιτεῖον προσηγορεύετο.* (Athen. VI p. 235 d). Sic legimus haec Athenaei verba in Meinekii editione et eadem in Prelleri Polemone p. 116. Equidem interpungo inter *ἀρχείου* et *τοῦ παρασιτείου*; non enim credo, curiam parasitorum hoc loco *ἀρχεῖον παρασιτεῖον* nominari, cum paullo infra modo *παρασιτεῖον* appelletur; *ἀρχεῖον* hoc loco curia illorum archontum est, quos eligendos curet *ἄρχων βασιλεύς* ut supra in eadem lege praescribitur. Tum etiam mihi *ἐπισκευασταὶ τῶν ἱερῶν* pro *ἐπισκευασταὶ τῶν ἱερέων* scribendum videtur esse, id quod Prellero probatur; *ἱερῶν* et ipse Passovius scribit (Lexic. v. *ἐπισκευαστής*). Illa igitur domus, qua parasiti primitias sacri frumenti deponebant, *παρασιτεῖον* appellabatur.

II.

Alterum genus parasitorum sunt ii, quos parasitos publicos vel nostra lingua „Staatsparasiten“ nominare licet. De iis Clearchus apud Athenaeum loqui mihi videtur, cujus verba iterum affero: *ἐν γοῦν τοῖς παλαιοῖς νόμοις αἱ πλεῖσται τῶν πόλεων ἔτι καὶ τήμερον ταῖς ἐντιμοτάταις ἀρχαῖς συγκαταλέγουσι παρασίτους.* Ad hunc locum Prellerus (Polem. frag. p. 120) haec notat: „Ceterum Clearchus non de sacerdotalibus illis epulonibus, de quibus sunt cetera testimonia, loqui videtur, verum de iis, qui vulgo dicebantur *ἀείσιτοι,* de quibus loquitur etiam Aristoteles in loco infra subjuncto. cf. Moeris p. 322 Piers. *παρασίτους, τοὺς δημοσίᾳ σιτουμένους ἐν τῷ πρυτανείῳ Ἀττικοί,* quales erant praeter prytanes legatosque peregrinos sacerdotes Eleusinii, alii.“ Sed hoc Moeridis dictum a plurimis viris doctis falsum esse putatur. Verba Aristotelis, quae Athenaeus e scripto de Methonaeorum civitate servavit (Prellerus pro *Μεθωναίων* scribendum esse putat *Ἀθηναίων*) sunt haec: *παράσιτοι τοῖς μὲν ἄρχουσι δύο καθ' ἕκαστον ἦσαν, τοῖς δὲ πολεμάρχοις εἷς. τεταγμένα δ' ἐλάμβανον παρ' ἄλλων τέ τινων καὶ τῶν ἁλιέων ὄψον.* (Athen. VI p. 235 e). Secundum Clearchi verba parasiti honoratissimis magistratibus, certe igitur archontibus, addebantur; Aristoteles duos cuique archonti parasitos fuisse affirmat: archontes vero non in prytaneo cenabant sed verisimile est, eos una cum thesmothetis in thesmothesio epulatos esse, certe non scimus, eos in prytaneo cenasse; parasiti vero ut omnes magistratus minores, qui majoribus auxilio dati erant, una

cum illis cenabant; sic igitur hi archontum ministri falso parasiti nominati essent, cum non in prytaneo cenarent. Nomen parasiti his minoribus magistratibus datum nihil aliud significat quam altera significatio *πάρεδρος*.

III.

Quis primus comicorum graecorum nomen parasiti turpiore illa notione notaverit, quam postea semper habebat, dijudicari non potest, cum veteres ipsi hac de re dubitaverint. Qua de re apud Athenaeum haec legimus: *τὸν δὲ νῦν λεγόμενον παράσιτον Καρύστιος ὁ Περγαμηνὸς ἐν τῷ περὶ διδασκαλιῶν εὑρεθῆναί φησιν ὑπὸ πρώτου Ἀλέξιδος, ἐκλαθόμενος ὅτι Ἐπίχαρμος ἐν Ἐλπίδι ἢ Πλούτῳ παρὰ πότον αὐτὸν εἰσήγαγεν οὑτωσὶ λέγων· κτλ.* (Athen. VI p. 235 e. f) *τοῦ δὲ ὀνόματος τοῦ παρασίτου μνημονεύει Ἀραρὼς ἐν Ὑμεναίῳ διὰ τούτων*

οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐκ εἶ παράσιτος, φίλτατε·
ὁ δ' Ἰσχόμαχος ὁδὶ τρέφων σε τυγχάνει.

πολὺ δ' ἐστὶ τοὔνομα παρὰ τοῖς νεωτέροις. τὸ δὲ ῥῆμα παρὰ Πλάτωνι τῷ φιλοσόφῳ ἐν Λάχητι. φησὶ γὰρ 'καὶ ἡμῖν τὰ μειράκια παρασιτεῖ'. (Athen VI p. 237 a, b).

Carystius Pergamenus in libro „de didascaliis“ scripserat, personam parasiti ab Alexide primo inventam esse, quem errorem Athenaeus ipse refutat, affirmans, personam illam jam ab Epicharmo in Spe vel Pluto et ab Eupolide in Adulatoribus inductam esse: *οἱ δ' ἀρχαῖοι ποιηταὶ τοὺς παρασίτους κόλακας ἐκάλουν, ἀφ' ὧν Εὔπολις τῷ δράματι τὴν ἐπιγραφὴν ἐποιήσατο, τὸν χορὸν τῶν κολάκων ποιήσας τάδε λέγοντα·* (Athen. VI p. 236 e) nomine

autem parasiti ante Alexidem usum esse Ararotem; vocem *παρασιτεῖν* jam apud Platonem in Lachete legi. Ex his Athenaei verbis apparet, nomine parasiti nondum usum esse Epicharmum, sed hunc modo personam illam in scenam produxisse et eam non *παράσιτον* sed *κόλακα*, ut omnes post eum antiquae quae dicitur comoediae scriptores, nominasse. Errat igitur Pollux, qui haec scribit: (VI, 35) *ἐπὶ τοῦ παρασιτεῖν ἐπὶ λιχνείᾳ ἢ κολακείᾳ πρῶτος Ἐπίχαρμος τὸν παράσιτον ὠνόμασεν, εἶτα Ἄλεξις* et ipse scholiasta Homeri Iliad. ρ 577. *τὸ δ᾽ ὄνομα τοῦ παρασίτου εἴρηται ἐν Ἐλπίδι παρ᾽ Ἐπιχάρμῳ* (cf. Meineke frag. II p. 377 sq.) Grysarus qui hunc locum Athenaei in libro qui inscribitur: „De Doriensium comoedia quaestiones. Colon. ad Rhenum 1828" pag. 254 tractat, verba Athenaei non recte interpretatur. „Tempore autem Platonis, inquit, et Aristophanis nomen istud honorificum in *κόλακας* illos transferri et turpe fieri incepit. — Plato autem initio sermonis, cui titulus Laches est, *παρασιτεῖν* dixit duos adulescentulos, a genere isto adulatorum non multum alienos." Athenaeus mea quidem sententia nihil aliud dicit nisi hoc: vox *παρασιτεῖν* legitur apud Platonem in Lachete. Falsa esse, quae Grysarus scripserit, intelliget quicunque illum Lachetis locum inspexerit. Laches enim cum Nicia de filio suo Aristide et de Melesiae filio Thucydide loquitur significans filios illos voce *μειράκια*. Tum haec leguntur: p. 180. *ὅθεν δὲ ἡμῖν ταῦτ᾽ ἔδοξεν, ὦ Νικία τε καὶ Λάχης, χρὴ ἀκοῦσαι, κἂν ᾖ ὀλίγῳ μακρότερα. συσσιτοῦμεν γὰρ δή ἐγώ τε καὶ Μελησίας ὅδε, καὶ ἡμῖν τὰ μειράκια παρασιτεῖ.* Equidem non credo, patrem suum et amici filium no-

minavisse *παρασίτους*, hac voce eos significaturum adolescentulos a genere isto adulatorum non multum alienos. E Lachete igitur non apparet, Platonem voce *παρασιτεῖν* turpi ista significatione usum esse. Primus igitur comicorum, qui nomine parasiti usus est, Athenaei testimonio Araros, Aristophanis filius fuit, qui hanc vocem in fabula, cui titulus est Hymenaeus, adhibuit. Errat Grysarius, eadem pagina haec scribens: „Ararus enim ille, filius Aristophanis primus fuit, qui turpiori ista significatione nomen parasiti in hymno aliquo usurparet.“ — „In comoediam autem ab Alexide primo parasiti nomen introductum esse opinor.“ Verba illa Athenaei *ἐν ὑμεναίῳ* non idem atque in hymno aliquo“ significant; sed haec verba graece *ἐν ὕμνῳ τινί* tradenda sunt. *Ὑμεναῖος* est titulus comoediae ab Ararote doctae. Itaque non ab Alexide, ut Grysarus conjicit, sed ab Ararote primo nomen parasiti in comoediam introductum est. At contra Meinekius haec dicit: „Nec tamen de nihilo esse videtur, quod dixit Carystius, cujus hanc mentem fuisse suspicor, ut parasiti et nomine et persona, qualem plerique postea comoediae auctores proposuerunt, atticorum comicorum primum omnium Alexidem usum esse, existimaret, quae si vera sunt, simul etiam intelligitur, Parasitum prioribus Alexidis fabulis adnumerandum et Antiphanis Parasito de quo p. 399 dictum, antiquiorem habendum esse.“ (Meineke Frg. com. II. p. 277). Hoc autem tenendum est, personam parasiti ab Epicharmo primo in comoedias introductam, nomine vero Ararotem primum usum esse; non enim credo, Ararotem aliam ac *κόλακος* personam *παράσιτον* appellasse.

Parasiti personam in graecis comoediis, Lessingius noster rectissime mihi videtur dixisse, eandem fuisse atque nostratium Harlequinum [G. E. Lessing. Ges. Werke VII. S. 101. Leipzig Göschen 1856]. Parasiti Personam et cetera ornamenta breviter descripsit Pollux onom IV 19 (Grysar de Doriens. com. p. 261). *κόλαξ δὲ καὶ παράσιτος μέλανες, οὐ μὴν ἔξω παλαίστρας ἐπίγρυποι, συμπαθεῖς. Τῷ δὲ παρασίτῳ μᾶλλον κατέακται τὰ ὦτα καὶ φαιδρότερός ἐστιν ὥσπερ ὁ κόλαξ, ἀνατέτακε δὲ κακοηθέστερον τὰς ὀφρῦς.* Quo in loco cum nigros parasitos dixerit Pollux: eos nigra veste indutos in scaenam processisse scias. Eodem enim sensu nigros illos dixit Alexis apud Athen. VI p. 237 b. M. frag. II433. „Duo, inquit, genera parasitorum sunt: alterum vulgare nos homines nigri, quos irrident comoediae, alterum satrapes et magnorum exercituum duces."

Cum per totam Graeciam divulgati essent illi homines, quibus postea nomen *παράσιτος* inditum est, non defuerunt, qui parasitationem sanctum quasi et pervetus institutum a prima antiquitate et ab ipso Homero, principio illo omnium Graecorum scientiarum repeterent. Risum movent, quae Athenaeus de hac nonnullorum hominium sententia summa gravitate docet: *πρῶτος*, inquit, *δ' Ὅμηρος, ὥς τινες φασίν, εἰςήγαγε παράσιτον, τὸν Ποδῆν εἶναι λέγων φίλον εἰλαπιναστὴν τοῦ Ἕκτορος·*

> *ἦν δέ τις ἐν Τρώεσσι Ποδῆς Ἠετίωνος,*
> *ἀφνειός τ' ἀγαθός τε· μάλιστα δέ μιν τίεν Ἕκτωρ*
> *δήμου, ἐπεί οἱ ἑταῖρος ἔην φίλος εἰλαπιναστής.*

τὸν γὰρ ἐν εἰλαπίνῃ φίλον εἴρηκε τὸν ἐν τῷ δειπνεῖν. διὸ

καὶ ποιεῖ αὐτὸν ὑπὸ Μενελάου τιτρωσκόμενον κατὰ τὴν γαστέρα, φησὶν ὁ Σκήψιος Δημήτριος ὡς καὶ Πύνδαρον διὰ τὸ ἐπιωρκηκέναι κατὰ τῆς γλώττης. τιτρώσκει δ'αὐτὸν Σπαρτιάτης ἄνθρωπος τὴν αὐτάρκειαν ἐζηλωκώς. (Athen. VI p. 236 c sq.)· Quoniam igitur Podes, qui praeterea dicitur *ἀφνειός τ'ἀγαθός τε,* appellatur *φίλος εἰλαπιναστής* Hectoris, et cum „in convivio carus" idem sit atque „in cena carus" necesse est, Podem parasitum fuisse. At jam Homerus oderat parasitos; in ventre enim, quo ut parasitus maxime Podes peccaverat, vulnerari eum narrat, et a Menelao quidem viro Spartano frugalitatis studiosissimo.

Athenaeus quidem censet, Homerum parasitos eorumque artem contempsisse et nihili aestimasse; sed parasiti ipsi apud Lucianum et apud comicos Graecos multa exempla afferunt, quibus Homerum parasitos bene novisse et eorum artem ut optimam beatissimamque praedicasse demonstrent. Qua de re conf. Luciani Paras. 10. II p. 847 sqq. 44 sq. II p. 869 sq. 46 sq. II p. 871 sqq.

Nicolaus, insertae aetatis comicus, parasitationem a Tantalo, Jovis filio, inventam esse narrat. (Nicolaus ex incerta fab. Meineke Frag. IV p. 579 sq.). Apud Diodorum comicum a parasito inventor ejus Jupiter *φίλιος* appellatur. (Diod. *Ἐπίκληρος.* Mein. frg. III 543 sqq.). Apud Timoclem vero omnes deos omnesque heroas parasitos esse parasitus affirmat: juvare enim eos *ἀσυμβόλαις ἡδοναῖς δείπνων* frui. (Timocles *Δρακόντιον.* Mein. frg. III. 594 sq.).

Optime comicorum graecorum Diphilum novae quae

dicitur comoediae poëtam, in fabula cui titulus est Telesias parasitorum mores, Menandrum vero adulatorum in „Adulatoribus“ descripsisse ex Athenaei libro discimus. (Athen. VI pag. 258 e). At necesse est, me hoc loco quaedam de adulatoribus illis disserere. Ante Ararotem comicum illos viros, qui postea parasiti vocarentur, adulatores nominatos esse, jam supra monui; attamen hoc novo nomine non semper loco illius veteris comici graeci utebantur, sed etiam, qui post Ararotem comoedias scribebant, saepissime vocem *κόλαξ* adhibebant quo parasitos notarent. Equidem non multum, ne dicam nihil, interesse inter has duas notiones credo. Vide, quae Athenaeus hac de re disserat: *„οὐ μακρὰν δ'ἐστὶν ὁ κόλαξ τοῦ τῶν παρασίτων ὀνόματος“* Clisophum enim, quem omnes *κόλακα* Philippi, Macedonum regis, nominant, Lynceus in „Memorabilibus“ *παράσιτον* appellat. (Ath. VI. pag. 248 d). Conferas Alexidis verba. (Alex. *Ψευδόμενος.* Mein. frg. III 502)

Κόλακος δὲ βίος μικρὸν χρόνον ἀνθεῖ·
οὐδεὶς γὰρ χαίρει πολιοκροτάφῳ παρασίτῳ

quae quidem verba hanc meam sententiam confirmare videntur; quare quaecunque de adulatoribus apud scriptores graecos inveni, ad ipsos parasitos retuli.

„Pollux omnes parasitos scenicos ad tria genera revocavit quae nominibus parasiti, secundi adulatoris, juvenis Siculi designatur; locus autem Pollucis est in onumastico IV c. 19 *τὰ δὲ τῶν νεανίσκων πρόσωπα δεύτερος κόλαξ, παράσιτος, Σικελικός.* Neque multo post: *ὁ δὲ Σικελικὸς παράσιτός ἐστι τρίτος.* Eandem parasitorum divisionem invenies apud Nonium Marcellum s. v. „deri-

sor". „Triplex parasitorum genus est derisores, plagipatidae sive Lacones, adulatores." Ille igitur, quem adulatorem dixit Nonius, idem cum eo esse videtur, qui a Polluce δεύτερος κόλαξ est appellatus. Hoc enim nomine id genus parasitorum notabatur, quibus poetae nimiae adulationis personam injunxerant. Alterum autem eorum genus, quod Nonius Lacones sive a plagis perpetiendis plagipatidas nominavit, a Polluce nudo nomine parasiti designantur. Qui vero supersunt derisores, sive quo nomine Pollux utitur, juvenes Siculi eorum personae ita adumbratae fuisse videntur, ut ad res jocosas et scurriles enuntiandas se totos accommodarent." (Grysar. De Doriens. comoed. pag. 260 sq.).

Cum mihi non liceret, Pollucis et Nonii libris ipsis uti, totum hunc locum attuli praesertim cum nonnulla hac de re disserenda sint. Equidem enim non existimem a Polluce et Nonio recte divisos esse parasitos in tria illa genera. Adulatores enim non modo adulatione liberam mensam affectant, neque plagipatidae modo plagis ferendis, neque Siculi illi modo rebus jocosis similibusque enuntiatis, sed ubi opus erat, etiam adulator plagipatidam et Siculum se praebebat. Gnathonides quidem, quem Timo apud Lucianum κόλακα significat, Timoni promittit, se ad cenam adhibitum convivas novo quodam carmine dithyrambo delectaturum esse, id quod nemini nisi Nonii Siculo convenit. Eundem adulatorem Timo vulnerat: verum autem plagipatidam se praebet, qui nihil nisi aliquantum auri postulat, quo mox e vulnere recreetur. (Luc. Timo c. 45 sq. I p. 159 sq.). Aliud exemplum invenies apud Alciphronem, quo probetur non

rectam esse divisionem illam Pollucis et Nonii. Psicho-claustes enim parasitus alteri haec narrat: „Nudius tertius ego et Struthio et Cynaedus parasiti, capitibus tonsis et bene lavati in praedium suburbanum Ancycles, quod Chariclis adolescentis est, citato cursu properamus. Et ipse quidem benevole nos excipit, risum enim amat nec parcit impensis; nos vero oblectationem et ipsi et convivis praebuimus eo, quod nobis alapas invicem infligeremus, anapaestos sonoros, dicteriis vere urbanis et atticismis, quas ipsae Gratiae dictassent, facetiisque plenos accineremus.“ (Alciphr. ep. III, 43). Dicat aliquis: Pollux et Nonius de comoediarum parasitis loquuntur, non de aliorum scriptorum. Equidem arbitrer parasitos comicorum et ceterorum scriptorum non esse diversas personas; sed parasiti eorumque mores, quales a poetis depicti erant, etiam a ceteris scriptoribus servabantur, neque quisquam posteriorum scriptorum in eundem parasitum trium illorum parasitorum generum mores conferre ausus sit. Parasitus, qui non modo adulatur, ut ad cenam invitetur, sed etiam in ipsa cena nulla alia re nisi adulatione convivas delectaturus est, ineptus habendus est; neque credo quemquam, nisi ineptum, nimia continuaque adulatione delectari posse; convivas vero modo plagis toleratis oblectaturi mox taedebit; denique qui totus se accomodat ad res jocosas et scurriles enuntiandas molestus aut odiosus est, aut eorum occupat ministerium, qui a Graecis γελωτοποιοί vocantur, quorum Athenis collegium erat, quique praemium accipiebant pro oblectatione convivarum, qui quidem longe a parasitis diversi erant. (cf. Athen. VI p. 260 c. XIII p. 614 d).

Adulationi autem primae partes in persona parasiti describenda dabantur; nam ea imprimis efficit, ut ad cenam adhibeatur. Quare Eupolidis *Κόλακες* haec de se praedicant: „Cum in foro videam hominem divitem et eundem stultum, statim circa eum versor. Si quid dicere incipit, maxime laudo et prae gaudio hoc de dicto obstupesco. Tum abimus ad cenam hic huc, ille illuc ad alienam mensam, ubi multa venusta dicere necesse est adulatorem, nisi porta pelli velit.“ (Eupolis *Κόλακες*. Mein. frg. II. 484. Athen. VI. pag. 236c.) Adulatori igitur non satis est adulari sed etiam derisor sive juvenis Siculus esse debet.

In Athenaei libro nonnulla verba exstant, quae eo teste idem significent, quod vox *παράσιτος*; sunt haec nomina: *ἐπίσιτος οἰκόσιτος, σιτόκουρος, αὐτόσιτος, κακόσιτος ὀλιγόσιτος*, quorum quidem *οἰκόσιτος, αὐτόσιτος, ὀλιγόσιτος* ironia quadam dicta videntur esse; parasitus enim, qui se ipse suae domi alit, non jam parasitus dici potest. De voce *ὀλιγόσιτος* vix necesse est me plura disserere; parasitus enim *ὀλιγόσιτος* nullo modo parasitus est, nam in parasitorum moribus voracitas primum obtinet locum *Ἐπίσιτος* vox, quae eadem est atque *ἐπισίτιος*, significat hominem, qui pro cena opus quid facit; *ἐπίσιτοι* vocantur parasiti a Cratete in fabula, cui titulus est *Τολμαί*; (Mein. frag. II 246. Athen. VI 247 e) *ἐπισίτιοι* a Pherecrate (Mein. frg. II 266) ab Aristophane (Mein. frg. II 1128) ab Eubulo (Mein. frg. III 216) a Timocle (Mein. frg. III 610) (cf. Athenaeus VI p. 247 e—248 e). Idem fere ac *παράσιτος* vox *παραμασήτης* significat, qua Alexis et Timocles poetae utuntur Atheneo teste.

Μοσχίωνος δέ τινος παρασίτου μνημονεύων Ἄλεξις ἐν Τροφωνίῳ *παραμασήτην αὐτὸν ἐν τούτοις καλεῖ·*

εἶθ' ὁ Μοσχίων
ὁ παραμασήτης ἐν βροτοῖς αὐδώμενος.

(Athen. VI p. 242 c. Mein. frg. III, 492). Timocles Chaerephontem parasitum *παραμασίτην* appellat apud Athenaeum (VI p. 243 b) cf. Mein. frag. III p. 579. Idem Alexis parasitos *τρεχεδείπνους* appellasse dicitur, quod nomen etiam apud Alciphronem parasito cuidam est. (Athen. VI p. 242 d. Alciph. ep. III, 4). Anonymus quidam comicus voce *δειπνοπίθηκος* de parasito utitur, quam Phrynichus sic illustrat: *ὁ δείπνου ἕνεκα πιθηκίζων καὶ ὑποθωπεύων κόλακος τρόπον.* (Mein. frg. VI 664). Apud alterum comicum anonymum nomen *λιμοκόλαξ* legebatur, quod Phrynichus his circumscribit: *οἱ διὰ λιμὸν κολακεύοντές τινα.* (Mein. frg. IV 666).

Saepius legitur vox *ψωμοκόλαξ* pro adulatore vel parasito: (Aristophanes *Γηρυτάδης* Mein. frag. II 1011. Sannyrio *Ἰώ* M. frg. II 875. Philemo *Ἀνανεουμένη* M. frg. IV 5. Philippides *Ἀνανέωσις* Mein. frg. IV 469 cf. Athen. VI p. 261 f. sq.) significat illa vox hominem, qui frustorum causa adulatur. Semel legitur *ψωμοκόλαφος* apud Diphilum in Theseo, quod quidem parasitum significat, qui pro alapis frusta accipit, qui igitur plagipatida est. (Mein frg. IV 399. = Atheu. VI p. 262 a). Eupolis quidem adulatores *κοιλιοδαίμονας* appellat, qui sunt homines, quibus venter solus deus sit; idem de parasitis voce *ταγηνοκνισοθήρας* utitur, qua voce significetur homo, qui patinarum odorem consequitur, quare ab eodem Eupolide altero loco vocantur: *οἱ περὶ τάγη-*

νον καὶ μετ' ἄριστον φίλοι. (Eupolis Κόλακες. Mein. frg. II, 487. II, 489. Athen. III p. 100 b. Plut. Am. et Adul. p. 546). Denique dicendum est, Anaxandridam comicum commemorare, sua aetate, pro κολακεύειν dictum esse ἀρέσκειν. (Anaxandridas Σαμία. Mein. frg. III 191. Athen. VI p. 255 a).

IV.

Priusquam ad demonstrandos parasitorum mores, qui quidem e scriptoribus graecis perspiciuntur, transeam, non supervacuum fore puto brevi ostendere, quae de sua arte parasiti ipsi praedicaverint. Cum de natura moribusque parasitorum optime atque uberrime disseruerit, Lucianus in dialogo, cui titulus παράσιτος est, prae ceteris audiendus est parasitus ille Lucianeus, qui summa sagacitate, venustate, inconstantia non modo suam artem non reprehendendam, verum etiam optimam habendam omnibusque ceteris longe praeferendam esse, docet. Quare paullo uberiorem epitomen hujus dialogi hic affero.

Tychiades quidam Simonem parasitum interrogat, quamnam artem didicisset; omnes enim ceteros homines ullam artem callere necesse esse, qua victum sibi parent. Simo musicam, medicinam, geometricam, eloquentiam se didicisse negat; a philosophia autem tantum se abesse, aut etiam longius si fieri posset, quantum bonum a malo. Suam artem esse parasitationem, se esse parasitum neque

ipsum pudere hoc fateri. Parasitationem veram esse artem et majorem quidem quam omnes, quas artes homines appellare soleant. Haec his fere argumentis probat. (Luc. paras. 1—3. II p. 836—39).

Notio artis haec est: *τέχνη ἐστὶν σύστημα ἐκ καταλήψεων συγγεγυμνασμένων πρός τι τέλος εὔχρηστον τῶν ἐν τῷ βίῳ* id quod latine sic tradam: Ars constat ex notionibus coexercitatis ad finem vitae utilem. Haec omnia optime parasitationi accommodata sunt. Primum igitur parasitatio est *σύστημα ἐκ καταλήψεων* (constat e planis notionibus). Qui enim parasitaturus est, antea accuratissime perscrutari debet, quis patrono necessariis moribus sit. (c. 4. p. 841 sq.). Tum parasitus omni tempore scire debet, quae dicenda et facienda sint, quibus rebus patrono suo gratissimum se praebeat. (c. 5. p. 842) cf. Alciphr. ep. III 44 ed. Joh. Aug. Wagner.

In epulis vero novisse eum oportet, quomodo abeat plurima adeptus, et ceteros qui suam artem non profitentur, superet; denique ciborum virtutes vitiaque optime scire debet. (p. 843). At non modo ex planis sed etiam ex coexercitatis notionibus parasitatio constat; cum enim non quotidie arti suae parasitus studet, non modo ars, sed artifex ipse perit. (c. 6. p. 844) Quod denique ad illud attinet „ad finem vitae utilem", longum est, pluribus hac de re disserere: nihil enim utilius ad vivendum inveniatur quam edere et bibere. Parasitatio autem vera ars non ut pulcritudo, robur, naturae donum est. Nec majore jure dici potest, eam esse *ἀτεχνίαν*: ars enim, quae non ars est, nihil prodest

ei, qui eam habet. Ut enim, qui gubernatoris artem non didicit, in mari aestuoso periret, quia expers ejus artis est, ita etiam parasitus periret, si ars ejus non vera ars i. e. ἀτεχνία esset. Sic igitur optime demonstratum est, parasitationem artem esse, et artem quidem, quae artificem nunquam deserat ut ceterae artes; optimi enim gubernatores haud raro naufragio perierunt; nemo autem parasiti afferre potest exemplum, qui quamquam exercebat suam artem interierit. (p. 845). Notio parasitationis haec est: „Parasitatio est ars esculentorum et poculentorum eorumque verborum, quae horum causa dicenda sunt, cujus finis jucundum est.“ (παρασιτική ἐστι τέχνη ποτέων καὶ βρωτέων καὶ τῶν διὰ ταῦτα λεκτέων, τέλος δὲ αὐτῆς τὸ ἡδύ). Finem beatitudinis et parasitationis eundem esse jam sapientissimus ille Homerus demonstrat; summum Stoicorum aut Epicureorum bonum non praedicat, quamquam occasio ei non deest. (c 9 sq. p. 845 sq.). Ceterum Epicurus parasitis summum bonum abstulit et suum fecit. Illud ἡδύ enim constat ex corporis requiete et ex animo perturbationibus et strepitu non expleto; (ἔγωγε ἡγοῦμαι τὸ ἡδὺ πρῶτον μὲν τὸ τῆς σαρκὸς ἀόχλητον, ἔπειτα τὸ μὴ θορύβου καὶ ταραχῆς τὴν ψυχὴν ἐμπεπλῆσθαι). Utriusque harum rerum parasitus quidem particeps, Epicurus vero expers est. Qui enim de terrae figura, de natura deorum, atque etiam de summo bono cum aliis certant, quietis animis esse nequeunt: haec omnia parasitus non curat, sed edit, bibit, dormit. Est autem etiam altera ratio, qua demonstretur, jucundum illud Epicuro contingere non posse. (c. 11. p. 848 sq.). Nam Epicurus aut ha-

bet, quo vescatur, aut non habet; si non habet, beate vivere non potest; si habet aut per se ipsum aut per alios habet. Cum per alios victum habet, parasitus est, quum per se ipsum, non potest beate vivere: si enim pauper est, cupiditati suae, quomodo cupit, indulgere non potest: i. e. non potest Epicurus esse; sin autem dives est, ne sic quidem beate vivit: tum enim cum coquo de male apparatis cibis, cum dispensatore de rebus domesticis neglectis jurgandum ei est. Parasito vero neque coquus est, quocum jurget, neque fundus, neque dispensator, neque res pretiosae quas amissas doleat, ut is unus vere tranquille epulari possit. [c. 12 p. 850.]

Praeterea non modo ars parasitatio est, sed etiam optima omnium. Praestantior ceteris universis est: nulla enim ars sine eruditione, opera, timore, verberibus discitur, parasitatio autem sine ullo labore. Tirones aliarum artium saepe magistros effugiunt: parasitus vero tantam voluptatem ex arte sua haurit, ut etiam invocatus ad cenam properet. [c. 13. p. 851 sq.] Ceterae artes voluptatem nobis praebent demum postquam penitus eas perdidicimus: parasitatio ipsi discenti hanc voluptatem praebet. Artifices ceterarum artium bis vel ter quoque mense ferias agunt: parasitus vero triginta dies festos uno quoque mense agit. Qui artifices dicuntur artem suam sine instrumentis exercere non possunt, parasito illis non opus est; ceterae artes non discuntur sine mercede magistro soluto, parasitus vero jam dum artem discit mercedem accipit. Omnes ceterae artes a praeceptoribus docentur, parasitationis solius

non sunt magistri; sed haec ars ut poësis deorum donum apellanda est. (Vide qua inconstantia sit Simo noster qui pag. 845 contrarium ipsum de arte sua praedicaverit) [c. 14. p. 853 sq.]

Tum parasitus artem suam exercere potest et terra et mari, id quod ceteri artifices nequeunt; ceterae artes parasitationis cupidissimae sunt, haec vero non illarum. Ne ignobile quidem est, aliorum bonis frui: parasitatio enim ex ipsa amicitia orta est, quare honestissima habenda est: nemo enim inimicum ad cenam invitat sed amicum, quare nemo verus amicus est, nisi qui nobiscum edit et bibit (c. 20 p. 855). Denique parasitatio regalissima, ut ita dicam, ars est; non enim a sedentibus aut a stantibus sed a cubantibus exercetur (c. 23). Ceterarum artium artifices non raro homines stulti atque ineruditi sunt; parasitari vero nemini stulto aut agresti licet (cf. Alciphr. ep. III 70). At non modo universis ceteris artibus sed etiam singulis parasitatio praeferenda est. Consensu omnium nobilissimae artes eloquentia et philosophia sunt: cum his parasitatio praeferenda est, etiam ceteris omnibus praeficienda est. De eloquentia ne constat quidem, eam artem esse, cum nonnulli eam ἀτεχνίαν vel κακοτεχνίαν dicant esse. (c. 26 p. 856]. Philosophia vero singulis scholis non eadem est; cum autem philosophia non multa diversa sed unum esse debeat, perspicuum est, omnino nullam philosophiam esse. Idem de eloquentia dici potest. Parasitatio vero semper eadem est eademque spectat apud Graecos et apud barbaros homines, ut ea sola optimo jure sapientiae nomen sibi vindicare possit; eam ceteris

artibus longe praeferendam esse etiam hoc ex argumento intelligitur: nemo enim parasitus unquam philosophiae studuit, philosophi autem saepissime parasitationi se dedunt atque summo amore eam amplectuntur. (c. 30 sq. p. 859). Aeschines quidem, Socraticus ille, apud Dionysium Siciliae tyrannum parasitabatur, nec minus Aristippus Cyrenaeus apud eundem Dionysium. Etiam Plato praestantissimus ille omnium philosophorum idem periclitabatur; cum autem non recte hanc artem calleret, ex Sicilia Athenas rediit ut melius eam perdisceret, quod quidem non multum ei profuit; paucos enim dies iterum apud Dionysium versatus, ex ignorantia parasitationem omisit. Aristoxenus musicus Nelei parasitus erat, Euripides Archelai, Alexandri Anaxarchus et Aristoteles. (c. 32—36 p. 860—862).

Etiam in bello parasitus philosopho melior est; hic enim fame contritus, macer, livido colore ad bellum gerendum non aptus, parasitus vero pulchro corpore, colore jucundo, visu forti est, ut vivus pulcher miles sit, et mortuus pulchrum praebeat adspectum. (c. 63 p. 863). Ex historia ipsa scimus, philosophos oratoresque, cum in bellum profecti essent, non fortes viros se praestitisse sed primo impetu effugisse. Isocratns quidem nunquam stipendia meruit et ne pro rostris quidem dicere ausus est. Demades, Aeschines, Philocrates timore perterriti patriam prodiderunt; Hyperides, Demosthenes, Lycurgus, qui in comitiis alta voce in Philippum increpabant, nihil memoria dignum in bello fecerunt; Hyperides et Lycurgus prorsus non ex urbe progressi sunt, Demosthenes autem in Boeotiam proficisci ausus abjecto scuto e pugna Chae-

roneensi effugit. Philosophorum nemo unquam in pugna cecidit; Socrates, qui unus in castra proficissci ausus est, foedissime effugit. (42 p. 865).

At contra videamus, quales viros in bello se praestiterint parasiti. Apud Homerum optimi praeclarissimique viri parasiti sunt, nec minus Aristogito parasitabatur. (c. 44—47. pag. 869—873). Ulixis praecepto obediens parasitus postquam jentavit in aciem prodit; post ipsum patronus constitit, quem ille scuto defendit, sui ipsius curam neglegens, cum hunc salvum magis curet, quam se ipsum. Si parasitus interfectus est, corpus ejus ut in convivio pulchre prostratum pulchrum spectaculum suis hostibusque praebet. (c. 50). Talis parasitus in bello est; at non solum hic, sed etiam in pace philosophum longe superat. In forum quidem et judicia non prodit, sed summa industria palaestras, gymnasia, convivia frequentat. Quo horum locorum philosophus cum parasito comparari potest? In venatione philosophus irruentem aprum aut cervum non manebit; manebit autem parasitus, cui ferae illae jam e conviviis notissimae sint. In conviviis vero, quis cum parasito jocante aut edente se conferre potest? quis convivas magis delectat, hic deliciis cantibusque an ille philosophus tristi vultu in humum prospiciens, qui magis ad luctum quam ad convivium videtur vocatus esse: ceterum philosophus in conviviis idem utilitatis affert, quod in balneis canis (c. 51 p. 875). Parasitus gloriae contemptor est; neque curat, quid de ipso homines censeant, neque auri cupidus est, ut plerique philosophorum; (c. 52 p. 876) nec minus non indulget irae, maerori,

invidiae: non irascitur, aut ira risu finitur quo convivae delectantur.

Parasito non est, cur maestus sit: nihil enim habet, quod amissum doleat, quales sunt domus, opes, servus, uxor, liberi. c. 53 p. 877). Tum de victu cogitare non cogitur; qui enim huc perductus est, non jam parasitus vocari potest; nihil timet ut philosophi illi, qui vel in balneum et prandium, nimirum timore perterriti fustem secum portant. (c 54 p. 878).

Denique nemo unquam parasitum adulterii, violentiae, rapinarum accusavit; qui enim parasitus tali crimine afficitur, non jam parasitus sed adulter, latro, fur nominatur; neque quisquam inveniatur, qui apologiam aut accusationem ullius parasiti confecerit. (c 56 p. 879). Ut vita parasitorum multo melior est quam oratorum philosophorumque, ita etiam mors eorum non pejor est. Adhuc nemo parasitorum vi periit, id quod plerisque philosophorum accidit, nisi forte cruditate interfectus; (c. 57 p. 880) quae mors Luciano teste Zenophanti parasito contigit (Luc. Dial. mort. I pag. 355).

Non ignobile esse alienis opibus frui his rationibus illustratur: ditissimus enim homo miser esset, si soli epulandum esset; mendicus videretur esse, nisi parasitus eum prosequeretur: denique dives sine parasito non melior est milite armis privato. (c. 58). Sic igitur parasitatio non ignominiae parasito est, cum patrono ipsi fructus ex ea oriantur: auctoritas tutelaque; nemo enim, quocum parasitus cenare solet, veneno interibit, quoniam hic omnia praegustat. Sic igitur omnia pericula pro

patrono parasitus subit et ne mortis quidem timore impeditur, quominus cum eo epuletur. (c. 59 p. 881).

Alteram hujus commentationis partem propediem sumus edituri.

Vita.

Carolus Maximilianus Alfredus Knorr natus sum die V. mensis Julii a. MDCCCXLVII in oppido Borussiae occidentalis, cui nomen Mewe est, patre Aemilio, quem jam mortuum lugeo, matre Aemilia e gente Przewisinski. Primis literarum elementis in schola Mewensi et Hammersteinensi instructus patre mortuo in orphanotrophium Regimontanum, quod etiamnunc sub Dembowski, Illustrissimo Viro, directore floret. Anno LXI h. s. in tertiam Collegii Fridericiani classem a directore doctissimo Adler receptus et quinque annis post cum maturitatis quod dicunt testimonio a directore humanissimo Wagner dimissus, studiis philologicis in academia Albertina operam dare institui. Docuerunt me proff. ill. Lehrs, Friedlaender, Jordan, Schade, Nitzsch, Ueberweg atque cum plurimo studiorum meorum fructu exercitationibus interfui seminarii philologici, quod sub proff. ill. Lehrs et Friedlaender auspiciis florebat. Quibus viris omnibus nec minus illis, qui antea literas me docuerunt, gratias ago quam maximas semperque gratiam habebo. Paschali tempore anni LXXI h. s. Belgardiam demigravi et progymnasii, quod sub Rudolfi Bobrik, Ill. Viri, auspiciis floret, magistri munere fungor.